Et tu das eſcam illorum.) Hieron. *& tu das eis eſcam ſuam*; utrumq; pronomen extat Hebr., לחם *lahem*, & cum nomine אכלם *ochlam*. Græcè unicum genitivi caſus αὐτῶν, quod tamen vetus Pſalterium, & Romanum, & Amboſianum, Auguſtinus, Proſper, putatus Hierony., Arnobius, Caſſiodorus legunt, *illis*, aut *eis*: & Auguſtinus cùm Pſalterio vivere, *in opportunitate*: Hoc aliis in Pſalmis cani antea monui. Quod *eſcam Deus det omni carni* a; hoc eſt, omni animali ex carne compoſito; quod *expectantibus ut det Deus eſcam, in tempore det*, & *ipſo dante colligunt, atque aperiente manum, omnia implentur bonitate* b: quod *dat eſcam eſurientibus* c: quod *dat jumentis eſcam ipſorum* d, &c.

a pſ. 135
b pſ. 103. 27 28.
c pſ. 145. 7
d pſ. 146. 9

Im tempore opportuno.) Hieron. *in tempore ſuo*, בעתו *bebbittho*, cum affixo tertiæ perſonæ numeri ſingularis, quod collectivè ad omnia referri animalia poteſt, quorũ oculi in Deum ſperant, & expectant eſcam: vel in numero unius, ad eſcam: ut cuiq; eſca tempeſtive præbeatur, juxta modos, quos antea poſui: inter quos unus eſt etiam, cùm videtur opportunum Deo, qui aliquando expectat articulũ quemdã temporis, in quo conſpectior fiat ipſius providentia. Apollin. vocat κατὰ Χρέος ἄρμενον εἶδαρ, *ſecundùm neceſſitatem*, vel *ut par eſt, convenientem cibum*. Quà de cauſsa Chriſtus, cùm ei proponeretur defectus vini, reſpondit, *nondum veniſſe horam ſuam* e, quia nondum conſtabat ſatis palam, quantus eſſet defectus, & neceſſitas; ut eam hiſtoriam enarrantes obſervant Chryſoſt., Theophylactus, Euth.: cum etiam Mater Chriſti, quæ proponebat, non expectarit, ut omnino deficeret vinum, quemadmodum ab Auguſt. f, notatum eſt, qui & illud aliud notat: omnes vero nominati præterea non addictum fato, certove tempori Chriſtum fuiſſe: quod Priſcillianiſtæ, & Ariani affirmarunt: ſed oportunum tempus expectari voluiſſe. Quamquam, ut obiter id quoq; attingam, omiſſis aliis interpretationibus, non vacat probabilitate, ſignificare voluiſſe decretum locum, ac tempus miraculis edendis eſſe, cum Jeroſol. perveniſſet: in gratiam tamen matris, quod dilaturus erat, & ſe tunc facere velle præ ſe primum ferebat, brevi poſt feciſſe, ut inſinuant Cyrillus g, & Ambr. h: quod tamen ipſum prævisum erat, & juxta providentiam Dei ordinatum. Ac prior quidem inde colligit, quantus honor debeatur parentibus, quum Chriſtus ad actum propter Mater ſtatim acceſſerit, quem, C quantum in eo erat, parumper diſtuliſſet. Hoc loco tempus opporunum Græcè dicitur εὐκαιρία, à καιρος, quod per ſe idem valet: & in pſalmo 103. i, *eſca in tempore* τροφὴ εὔκαιρος, ubi etiam eſt Hebr., ſicut hic, אכלם בעתו *ochlam bebbittho*: & עת *hheth* habeat eamdem vim, ut nimirum denotet occaſionem temporis, tempus opportunum, ipſam opportunitatem, & occaſionem. *In manibus Dei tempora*, ſive *ſortes noſtræ* k, cujus providentia vitæ noſtræ momenta decurrunt.

Cauſa, cur Chriſtus Matri defectum vini proponenti reſponderit, nondũ veniſſe horam, tuam.
e Joan. c. 2
f ſerm. 41. de temp.
g in Joan. c. 2
h in pſ. 118 octon. 10
i verſ. 27
k pſ. 30, 16

Aperis tu manum tuam.) Hieron., *aperis manus tuas*, פותח ידך *potheach jade Ka*, *aperientes manum tuam*, nimirum *es*: ſed legit Hieron., inſerto י *jod*, in plurali, *jadeKa*. Correcti codices Græci habent pluraliter. Additum pronomen ab Interpretibus limitat participiũ, quod poteſt eſſe cujuſvis perſonæ, valetque ad emphaſin, quod etiam exprimit Chaldæa, & editiones aliæ. Similis dicendi formula pſal. 103. l, *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate*. Apertio manus, liberalitatem, largitatem, munificentiam innuit ſicut in Deuteronomio m, *aperire manum fratri egeno, & pauperi*: quod geminate dicitur Hebraicè, *aperiendo aperire*, ideſt, large, affluenterque: & in Proverbiis n, mulier fortis deſcribitur, *Aperuiſſe manum ſuam inopi*: & in Eſaia o, quidam *dilexiſſe ſtratum*, ideſt, altare idolorum, *manu aperta*, hoc eſt, liberali ad expenſas faciendas in cultum idolorum: & in libro Eccleſiaſti p, cavetur, ne ſit *manus porrecta ad accipiendum*,) alibi q, dicit idem Auctor *avarum lætari in aperiendo manus ſuas*, videlicet ad accipiendum, ut multi declarant, *& ad dandum collecta*; ſed ut *porrigatur manus pauperi* r, & ſic *perficiatur propitiatio, & benedictio noſtra*. Denique *manum liberalem* Hebræi nominant יד פתוחה *jad pethuchah*; *avarum, & ſordidam*, יד קמוצה *jad Kemutſah, manum clauſam*. Avaritiæ, tenacitatiſque ſymbolum contractæ manus, præſertim ſiniſtra, digitis compreſſis. Retulit id inter hieroglyphica Pierius ſ: præterea illud Theocriti, νενικηται δ' ὑπὸ κερδέων, πᾶς δ' ὑπὸ κόλπω χεῖρας ἔχων, *vincitur autem à lucris, omnis vero ſub ſinu manus habens*: item ex Diogene, non eſſe tradendas amicis manus complicatas. Quamquam idem Auctor A porrectionem manus docet ſimul avaritiæ ſignum fuiſſe, atque promtitudinis ad capiendum. Trito ſatis, vulgarique adagio, qui effuſe polliceantur, præſtent pauca, largos ſecundùm os, linguamve nominant, ſtrictos, & compreſſos quantum ad manus. Turcas ipſos prodit Jo: Leuncl. t, liberalitatem per apertas manus exprimere ſolitos. Non poſſunt Chriſti noſtri manus claudi ad beneficia, quæ in Cruce apertæ, fixæq; ſunt, ruptæ, ac perfoſſæ, unde pretioſiſſimus ſanguis fluit copioſiſſime, atq; *aureæ, ac tornatiles, & plenæ ſunt hyacinthis* u. Hinc manare potuit ritus benedictionis, porrecto brachio dextro, manuq; aperta, cum deſcriptione Crucis in aere, tum etiam ex eo, quod Chriſtus elevatis manibus, dum aſcenderet in cœlum, benedixit x, ut alibi dixi y. Stricta, contracta, compreſſa manu, pugnove tribulationes noſtras metitur, beneficia noſtra largiore, apertiore, magis extenſa, & expanſa manu. Quod tropologicè interpretari poſſumus, eſſe *metiri*, ut Eſaias z, loquitur, *pugillo aquas*; *cœlos autem palmo ponderare*. Quamvis Ambroſius a, legat, *metiri manu aquam, cœlum palmo, univerſam terrã clauſa manu*. Simul autem recitans præſentem hunc pſalmi locum, B ſcribit eo ſignificari, quod omnia admirabili quodam deſiderio, & inenarrabili amore Auctorem vitæ, & miniſtratorem gratiæ ſuæ, ac muneris intuentur. De Chriſto autem intelligit. Allegoriam tradit Hugo de manu pro Chriſto eodem, quam manum Pater aperuerit in incarnatione Filii, cùm prius eſſet clauſa, quemadmodum extraxit Moyſes de ſinu manum leproſam b, ſignificante lepra infirmitatẽ humanam, quam Chriſtus ut nos curaret, aſſumſit, ita ut *reputaretur leproſus* c: iſtius manus deſiderio Patres veteres dixiſſe, d, *ut quid avertis manum tuam de medio ſinu tuo*; hanc manum retractam à Patre in aſcenſione Chriſti: iterum educendam ſenam in ſecundo adventu: item aperuiſſe Chriſtũ illam in paſſione, & perforaſſe, e, ut large ſanguinem funderet ad noſtram emendationem: clauſam habuiſſe, ut diabolum pugno percuteret f: ſed & apertã tunc habere, quando percutit aliquem ut filium, ad corrigendum: ad hæc, ſiniſtram aperire his, quibus temporalia abundanter dat dexteram claudere, quibus æterna ſubtrahit, Deinde manui, ut Chriſtum deſignat, aſſignat quinque digitos: pollicem, ut à pollicendo dicitur, quo promiſit vitam æternam: indicem, quo indicavit, & oſtendit nobis Patrem: medium, quia mediator eſt Dei & hominum: medium, quoniam ſanavit vulnera noſtra: auricuralem, quoniam aperuit aures ſurdorum, & ſenſum ad intelligenda divina. Tamdem docet, manum apertam in Spiritus ſancti miſſione, ita ut digiti quinque totidem innuant ejuſdem effectus: quoniam pollice ungit nos in Reges & Sacerdotes: indice veritatem indicat & demonſtrat: medio nos Deo conjungit, atq; reconciliat: medio ſanat: auriculari autẽ interiorem aperit. His digitum ſextum addi ait ab illis, qui laudes humanas quærunt. Verum hujuſmodi monſtrum interfici à Jonatha g, qui ſonat Hebr. *donum columbæ*; quoniam qui à Spiritu ſancto omne bonum eſſe intelligit, ſuperfluitatem digitorum in ſe interficit. Reprehendit etiã eum, qui digitum extendat, ad alios infamandum h; vel, qui jactant minimum ſuum eſſe valentiorem aliorũ craſſiore i, intumeſcendo de gratia. Illuſtrat hæc omnia Scripturæ ſatis aptis teſtimoniis, quibus Greveus k, Hugonem tranſcribens, tametſi nomen reticens; adjicit alia nonnulla. Ayguanus allegoricè quoque apertione manus incarnationem intelligit: manumq; hanc prius clauſam, & occultam, D apertam eſſe, quum DEI Filius ad nos miſſus eſt, & aperta Mariæ terra, unde oriretur l, & germinaret m; ſed ſic aperta, ut maneret clauſa n. Tandem obſervat; à Chiſto apertum os o, ut doceret: apertam ipſi manum, ut nobis provideret: apertum latus p, pro noſtra redemtione.

l verſ. 28
m c. 15. 7. 11
Manus apertio liberalitatis, & munificentiæ ſignum.
n cap. 31. 20
o cap. 57. 10
p cap. 4. 36
q cap. 40. 14
r cap. 7. 36
Avaritiæ ſymbolum contractæ manus.
ſ l. 35. fol. 355
t lib. 4. epiſt. Muſulmana. Turcarum.
u Cant. 5. 14
x Luc. ult. 51
y in Act. 1 9
Tropolog.
z cap. 40. 12
a 2. de Spir. ſancto. c. 10
Allegoria.
b Exod. 4. 6 7
c Eſa. 5. c. 4
d pſ. 73. 11
e Zach. 13. 3
f Eſa. 53. 8
g 2. Reg. 21 26. 11
h Eſa. 58. 9
i 3. Reg. 12 10
k ſerm. 323
Senſus allegoricus.
l pſ. 84. 12. 13
m Eſa. 45. 8
n Ezech. 44 1 2
o Matt. 5. 2
p Joan. 15. 34

Et imples omne animal benedictione.) Hilarius, *omnem animam*, quæ pro animali ſumitur: & hoc, aut pro bruto etiam, aut peculiariter pro homine, qui benedictionem percipit, licet Deus legatur benedixiſſe bruta q. Hieron., Bibliaque Complutenſia, & Regia, *refectione* Chald. *deſiderio ipſorum*, תורעותהון *thorehhuthehon*, Hebraicè abſque pronomine affixo, רצון *raſon*, quod alii reddunt, *voluntate, deſiderio, beneplacito, ad voluntatem, pro voluntate ſecundùm voluntatem*; *quantum ſufficit*. Ideſt, aut beneplacito liberalitatis tuæ gratuitæ, ſine benevole, ſponte, ultro, liberaliter; quo pacto alibi r, dicuntur animalia *impleri bonitate Dei*, טוב *tob*, Χρηστότης: aut cibo concupito, & deſiderato, quantumque illum concupierunt,

q Gen. 1. 22
r pſ. 103. 28

pierunt, & deſideraverunt, ita ut *eden lo ſaturarentur* a. A Juxta ſecundùm modum verti adhuc poſſet, *imples, & ſatias omni animali, & viventi*, aut *omnis illius voluntatem, appetitum, deſiderium, cupiditatem*. Sic in alio Pſal. b, *qui replet in bonis deſiderium tuum*: & in Evangelio c, narratur; quod Chriſtus *diſtribuit diſcumbentibus de piſcibus* multiplicatis *quantum volebant*: & in actibus Apoſtolorum d, Paulus ait, quod *implet Deus cibo & lætitia corda noſtra*. De רצון *ratſon* egimus alias, docentes accipi pro beneplacito, placabilitate, benevolentia, atq; pro qualibet voluntate. Diximus etiam de Græco vocabulo εὐδοκία, pro quo videtur Interpres εὐλογίαν legiſſe: ſed Hilarius exponit *beneplacitum*, & Ambroſius e, legit, *imples omnem animam bona voluntate*. R. Kimhi hoc loco ad voluntatem Dei refert ſimpliciter. R. Salomon explicat de eadem, quantum ſufficiat ad ejus gubernationem, ſive ut alimoniam præbeat. R. Aben-Ezra, quod varias eſcas unicuiq; largitus eſt, prout ei conducit, quemadmodum Medicus jubet cuivis, ut edat quod bonum eſt ſibi: præterea quidquid largitur, ex miſericordia eſt, quia nulli debet, ut idcirco etiã appelletur *miſericors* verſu ſequenti. Quod in Deuteronomio f, legimus, *Nephtali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini* B Græcè habetur per nomen εὐλογίας, quod propriè *benedictionem* valet. Hebraicè per nomen hujus loci noſtri רצון *ratſon*, pro quo Thargum ponit רעוא *rabbva*, *deſiderium*. In Malachia g, *non accipiam placabile*, dicitur Hebraicè vocabulo רצון *ratſon*, Græco δεκτόν, & ſignificat *oblationem gratam*. Uſitatum Poetis *almi* epithetũ, quod numinibus falſis tribuunt, ab alieni facultate, & liberalitate. Judicat Chryſoſt., differens quodam opere de Dei providentia, & recte ſane judicat, excellentioris providentiæ divinæ opus fuiſſe paſcere per cauſſas ſecundas mundum continua quadam ſerie & ordine, quam ſi quotidie conderet eſcas de novo. Certe majoris artis eſt componere horologiũ, quod ſtatas conſtanter horas pulſet per admodum longum tempus, quam ſi artifex ad horas ſingulas pulſandas manum applicet. *Benedicendi* verbo, nomineq; *benedictionis* frequentiſſimè hanc liberalitat. Litteræ ſacræ exprimunt, tum quia, ſi de Deo intelligant, ut dicere illius eſt facere, ſi benedicere benefacere: tum quia, ſi de hominibus, valde munus cohoneſtat, qui dum dat, benignum ſermonem, & jucundum adhibet, ut *hilaris dator* videatur, *quem Deus ipſe diligit* h. Multo largior *benedictus Deus benedicẽdo nos in omni benedictione in cæleſtibus, in Chriſto Jeſu* i, *effundens benedictionem ſuper ſtirpem ſuam* k. Plena nihilominus tantum benedictio erit poſt præſentem vitam, tuncque *ſatiabimur quum apparuerit gloria Dei* l, & *replebitur in bonis deſiderium noſtrum*, quando *renovata fuerit, ut aquilæ juventus noſtra* m. Interim Deus, ut ſcribit Aug. n qui boni naturam ex nihilo ſui capacem fecit, implendo meliorem, prius faciens excitãdo avidiorem. Nam tria ſunt in anima, inquit hoc loco Bonaventura, rationale, concupiſcibile, iraſcibile: ſed unumquodque impeditur in præſenti, ut non poſſit impleri. Circa rationale ſunt quaſi habitus & privatio, ſcientia & ignorantia: circa concupiſcibile, deſiderium & contemtus; circa iraſcibile, ira & lætitia: rationale implebit Deus luce ſapientiæ: concupiſcibile fonte juſtitiæ: iraſcibile ſumma lætitia & trãquillitate, quia tunc erit perfecta ſapientia & juſtitia, nec erit ſuſpecta lætitita propter ſcientiam, nec impura propter juſtitiam.

a pſ. 22 27
b pſ. 102 5
c Joan. 7. 18
d cap. 14. 16
e 2. de Spiritu ſancto, c. 10
f cap. 33. 23
g cap. 2. 13
Excellentioris divinæ providẽtiæ opus, mundum per cauſſas ſecundas continuata ſerie paſcere, quam ſi quotidie de novo cibos conderet.
h 2. Cor. 9. 7
i Epheſ. 1. 3
k Eſa. 44. 3
l pſ. 16. 15
m pſ. 102. 5
n 12. de civ. cap. 9

Verſ. 17.) Juſtus Dominus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.

Senſus loci.

QUarta virtute præditus Deus ut Rex, nimirum juſtia, ſine qua tueri populi pacem, quietemq; non poteſt, ac tam ampla illa benignitatis munera, de quibus priore verſu dictum eſt, conſervare. Omnes igitur actiones ſuas externas, per quas quodammodo exit ad nos: & dici ſolent ad extra, juſtiſſime operatur, tribuens cuiq; quod ei convenit, nec quidquam eſt, quod reprehendi merito poſſit, ac non potius ſummam venerationem laudemque mereatur in cunctis operibus illius. Si qui ſunt, de benedictione ſpirituali, & gratia loquendo, qui participes ejus non eſſe videantur, culpa illorum eſt. Quæ promiſit Deus, præſtat fideliter, eique omnis diſplicet iniquitas. Fit abſceſſio Dei à nobis, ut ſcribit Hilarius alibi o: quia nos ab eo in peccata diſcedimus. Qui tamen Hilarius hoc loco ſanctitatem illius attendit circa alimoniam omnium juſtitiam in replendis animi beneplacito ſuo: *beneplacitum* nempe ſumens; quæ priore verſu Græcò dicitur εὐδοκία pro benedictione, ut habet Latina verſio, quæ aptius reſpondet alteri nomini τῆς εὐλογίας, quod non extat in dicto verſu. Omnes viæ Domini dicuntur judicia in Moyſis cantico p: & in Apocalypſi q: *juſtæ & veræ omnes viæ ejus*. Nec abeſt miſericordia, quam toties vidimus conjunctam cum juſtitia, immo, & reſpectu illius primatum quemdam obtinentem in operibus divinis, poteſtque hic per ſanctitatem recte intelligi. Quin etiam antea monuimus nonnullos hoc eodem loco *juſti* nomen, quod alibi ſæpius animadvertimus, accipi velle pro miſericordi: ut ex liberalitate illa munifica Dei in procuranda cunctis eſca, procedat Propheta noſter, ad celebrandam generaliter in omni Dei opere miſericordiam, cui & ſanctitas, ut ſynonyma fere intelligatur, quod Hilarius videtur ſentire. Poſſunt præterea *viæ* pro verbis ſumi: quæ erant prius in alio plane ſimili verſu, quemadmodum in pſalmo 38. r, *cuſtodire* David *vias ſuas conſtituit, ut non delinqueret in lingua ſua*, hoc eſt, in viis linguæ, quæ ſunt verba, ſic B juſtus in viis cenſebitur, quia nihil profert non juſtum, ſive præcipiat, ſive conſilium det, ſive hortetur, ſive conſoletur, ſive promittat, ſive prohibeat, reprehendat, iraſcatur, minetur, terreat. Ad hæc *viæ* idem valent, quod opera: in quibus omnibus Chriſtus peculiariter juſtus & ſanctus fuit, quia tot ad ſe venientibus vias præbuit, ut ait Gregorius ſ, quot bene vivendi exempla monſtravit. Quà de re dictum ſæpenumero.

o in pſ. 12.
p Deut. 32 4
q cap. 15. 3
r verſ. 2
ſ 25 moral cap. 16

Juſtus Dominus in omnibus viis ſuis.) De hoc verſu relege dicta circa partẽ decimi tertii, vel potius circa 14. ut conſtet numerus verſuum acroſtichorum juxta numerum litterarum alphabeti. De *viarum* vocabulo egimus crebro: *juſti* quoq; nomen pro fideli, quod erat citato loco, uſurpari non raro, alias monuimus. Poteſt hæc adhuc acceptio confirmari verbis illis Eſaiæ t contra falſos deos: *qui annuntiavit ab exordio, ut ſciamus, & à principio, ut dicamur, juſtus eſt?* ideſt, verax. Etſi ſenſus poteſt etiam eſſe, ut dicamus, laude dignus es; evaſiſti in cauſſa iſta ſuperior, poteris juſte dici Deus, immunis eris ab ea labe, qua diceris fictus & falſus Deus. At LXX. favent priori ſenſui ἐροῦμεν ὅτι ἀληθής ἐστιν *dicemus quia vera* C *ſunt*.

t cap. 41

Et ſanctus in omnibus operibus ſuis.) Hieron., *miſericors*, quod ſignificat חסיד *chaſid*, ſeu pium, plenum gratia & benignitate, quem barbari gratioſum vocant. Eſt Deus, ait Cajetanus, gratioſus ſine cujuſquam injuria, quia ſimul juſtus, non ſicut plerique principes ita ſe multis gratioſos exhibentes ac prodigos, ut aliis tamen exhibeant injuſtos, avaros, raptores, &c. Denique idem Cajetanus declarans de Dei gratia circa rationales creaturas, quæ ſolæ ſunt capaces illius, docet, Deum ſic eſſe gratioſum in omnibus operibus ſuis, quia & punit citra condignum, & remunerat ſupra condignum; quia magna gratia eſt non exterminare ſtatim peccatores, quum ſint indigni pane, quo veſcuntur. Eadem vox חסיד *haſid* pſalmo 4. u vertitur quoque *factus*, & in 11. x in 36. y in 15. z in 51. a in 131. b in 149. c in 88. f atque paſſim fere in aliis libris ſacris, ac ſæpius redditur Græcè, ſicut his ὅσιος, de quibus nominibus actum alias. Illam porro ſanctitatem Dei, juſtitiamq; ſumptam non univerſe pro quavis virtute ac perfectione morali, ſed ut ille ſervat æqualitatem quamdam inter homines præſertim, & ſi D ſuo quoque modo inter omnes res alias, ut varia ſingulis bona, munerave diſtribuat, quatenus exigit varia: & inæqualis ratio meritorum cuiuſque, (quæ in aliis rebus eſt diverſa cujuſque, (quæ in aliis rebus eſt diverſa cujus ibet natura & proprietas.) Plato g ſignificare voluit, inſcribens veſtibulo Academiæ οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω, *nemo expers Geometriæ ingrediatur*. Hoc Platonem voluiſſe, inter alias cauſſas, non Platonici tantum docent, ut Ficinus h, verum etiam innuit Plutarchus i, dicens à Deo ſemper ſervari, atque ipſius exemplo ſervandam in republica non arithmeticam, ſed geometricam proportionem juſtitiæ magis congruentem. Addit præterea Ficinus, idcirco Platonem ante alias ſcientias ediſci geometriam præcepiſſe, ut ſignificaret rectam animi motuum prius adhibendam menſuram, quam ad illas accederetur.

u verſ. 4
x verſ. 2
y verſ. 28
z verſ. 10
a verſ. 11.
b verſ. 9. 16
c verſ. 1. 5
d verſ. 26
e verſ. 5
f verſ. 20
g 27. de republic
Plato ante alias ſcientias Geometriam ediſci voluit & quare.
h in vita Plat.
i 8. Sympoſ qu. 2

Verſ. 18.)

a Act.9.6 b ſerm. de converſ. Pauli. c Eſa.62.4 d 1.Cor.1. 11. Phil.2.2. 15. cap.4.2 e Act.4.32 f Coloſſ.3.14

verſionis, ſed & converſationis forma Deo dicere a. *Quid me vis facere?* ut Bernardus b, obſervat. Quam divites, quam læti, quam beati ſunt, quibus revera convenit cognomen illud nobiliſſimum promiſſum à Deo Eccleſiæ ſuæ c, *vocaberis voluntas mea in ea*. Tales, qui *idem ſapiunt, dicuntque in Domino* d, & quorum *cor in eodem, & anima una eſt* e per Charitatem, quæ colligat omnes in illo tamquam *vinculum perfectionis* f. Qui detrectet obedientiam hominis, quum Chriſtus homo ac Deus ipſe obediverit voci hominis? Hoc non tantum narrat Joſue prius indicata hiſtoria g: ſed & Joſephus h non dubitavit ſcribere, quod oranti Oniæ pro pluvia, γινόμενος ὑπήκοος ὁ θεὸς ὗσεν, *factus obediens Deus pluit*. Ita quoque de Deo Gentilis Poeta Claudianus i cecinit agens de miraculo illo fulminatricis legionis, quæ tamen Chriſtianorum erat, idque precibus impetravit à Chriſto, ſub M. Antonio Vero:

g cap.20.14. h lib.14.c.3 i de ſexto conſulat. Honorii.

—— Omne Tonantis
Obſequium Marci mores potuere mereri.

An non dicas obedire quotidie voci Sacerdotis Deum in conſecratione, & in aliorum Sacramentorum uſu?

Voluntatem timentium ſe faciet.] Hieron. & in Speculo Auguſt. *placitum &c.* inſeritq; poſterior *enim*. Eſt Hebraicè רצון *ratſon*, quod erat verſu etiam 16. ubi vertit Hieronym. *refectionem*. Diximus ibidem nomen Hebreum uſurpari pro quavis voluntate, quam etiam hic valet Græcum θέλημα & Chaldæum רעות *rehhuth*. Idē porrò de timentibus Deum dici poteſt; quod de invocantibus, videlicet per utroſque deſignari veros Dei cultores. Quamvis alibi docuerimus dum comparatio fit cum Hebræis, vel mentio de timentibus Deum ſeorſim ab illis, ſolere intelligi eos, qui ex Gentilibus profiterentur veri Dei cultum. Hoc loco, ubi ſoli nominantur timentes Deum, comprehendunt quoslibet, tam Hebræos, quam Gentiles. Denique voluntatem fieri eſt idem, quod rem volitam, quemadmodum quum oramus *fieri voluntatem Dei ſicut in cælo & in terra* k, ſimilitudo inter Deum, timenteſque illum eſt; quoniam Deus ipſe nominatur *timor* l, ut aliàs notavimus, & hoc loco Nebienſis notat, qui citat R. Simeon ben Jochai, neſcio quid de timore incorporando in matrice fœminæ, qui vocaretur quoq; miſericordia, & fortitudines haberet. Quo ſermone viſus eſt incarnationem ſignificare.

k Mat.6.10 l Gen.31.42

Et deprecationem eorum exaudiet.] Hieronymus, & notato loco Auguſtinus, *& clamorem eorum audiet*. Hic autem idem Auguſtinus putatus Hieronymus & Proſper, cum vetere Pſalterio, *& preces*. Hilarius & Arnob. *orationem*. Romanum & Ambroſianum Pſalterium, atq; Caſſiodorus, *orationes*. Hebraicè שועתם *ſciaubbatham*. Chaldaicè *preces eorum* בעותהון *bhbuthehon*. Clamorē ſignificat Hebræa vox ferè ſemper, hoc autem uti ferè ſolent, qui tribulationem patiuntur. Ut idcirco veriſimile ſit de tribulatione intelligi hunc locum, deque iis, qui timentes Deum, timent quoque damnum ſibi, aut ne non amoveatur id, in quo jam verſentur. Græcum nomen δέησις ab indigentia, vel etiam à timore derivari poſſet, ac propterea innuere deprecationem mali. Quamvis promiſcuum uſum hæc nonnumquam habere aliàs viderimus.

Et ſalvos faciet eos.) Cum Hieronymo Auguſtinus, *& ſalvabit eos*: nec non Pſalterium Ambroſianum. In Hebræo ויושיעם *veioſcibbem*. Elegans paronomaſia eſt cum præcedente nomine שועה *theſcibbah ſalutem* ſignificans. Quaſi denotetur hic deprecatio cum clamore pro ſalute conſequenda. Hoc volunt timentes Deum, inquit Hilarius, hoc ut audiatur orant, ut non dominetur eorum æterna mors, ut non in interitum perpetui judicii deputentur, ſed ſub cuſtodia Dei tuti ſint.

Verſ. 20.) Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe, & omnes peccatores diſperdent.

Senſus loci.

Virtus boni Regis, Deique, ut optimus Rex eſt, in eo conſiſtit, ut juſtos ac fideles ſubditos, qui ipſum diligunt, & ipſius mandata cuſtodiunt, cuſtodiat, atque protegat adverſus multitudinem peccatorum; hos autem diſſipet, vel etiam de medio tollat, ne illis noceant, aut certè non quantum vellent. Peccatores porrò vel diſperſa & everſa propria malitia convertuntur, vel ſi converti volunt, ſic diſperduntur tandem in inferno, ut numquam in æternum liceat eis dilectores Dei vexare. Juſtos, maximè verò electos *cuſtodit Deus velut in faſciculo* m, *omniaque oſſa eorum* n, & *cunctos capillos capitis* o. Nam ſi quis eorum, qui diligunt Deum, ſinitur in mortem incidere, hæc quoque ſunt, ait Chryſoſtomus, partes cuſtodientis, quoniam etſi eorum corpora interierint, animo tamen clariores evaſerunt; recipient autem corpora interitui non obnoxia. Sic *ſalvos faciet eos*, quod proximè antè dictum eſt, cuſtodiendo, ideſt, ut ait Hilarius, æterni regni participes reſervando, qui nimirum & timebunt, & precabuntur, & diligent; diſperdet verò peccatores, qui nec ut homines timuerint, nec ut ſubditi oraverint, nec ut donati vita, mundoque dilexerint. Addi poſſunt, ut donati redemtionis, gratiæque muneribus, atque ſi per illos non ſtaret, invitati ad participationem æterni regni. Auguſtinus antitheſin quoque iſtam conſiderat ſeveritatis & ſuavitatis Dei, ut inter fideles, timentes Deum, invocantes illum in veritate, diligentes ex una parte, ex altera verò inter perſeverantes in peccatis; Deum, non ſe, reprehendere audentes, contra Deum quotidie diſputantes, veniam delictorum deſperantes, & ipſa deſperatione delicta cumulantes, aut veniam ſibi perversè promittentes, & ex ipſa promiſſione à peccatis, & impietate non recedentes. Jam diu antea p Moyſes hujuſmodi antitheſin poſuerat promiſſionum & comminationum Dei, quamvis de rebus temporalibus, quæ æternas bonas, malaſque adumbrare poſſunt, tum reſpectu bonorum, tum reſpectu malorum.

m 1.Reg.25 29 n pſ.33.21 o Mat.10. 30 Luc.12.7 cap.21.18.

p Lev.26.3. 4.5.& ſeq. Deut.28.1. & ſeq.15.& ſeq.

Cuſtodit Dominus omnes diligētes ſe.) Errore memoriæ Sixtus, non Papa III ſed neſcio quis alius, fautor Pelagianorum, auctor libri de malis Doctoribus & operibus fidei, pro *cuſtodit*, legit *diligit*. De hac Dei cuſtodia, & Chriſti egimus alias: atque propter illam non immeritò paſſum ſe Chriſtum cognominari *Samaritanum* q, quod nomen *cuſtodem* ſignificat. Cuſtodiuntur quidem omnes à Deo, quem Job r appellavit *cuſtodem hominum*, tametſi videatur ſignificare eſſe exploratorem actionum humanarum. Sed peculiari cuſtodia hi, qui ſeſe ipſius curæ contradicunt, diligentes ipſum: adhuc magis, maximèque propriè electi, qui diligunt uſque ad finem, & ut Hilarius loquitur, æterni regni participes reſervantur, & ut Rickelius, præſervantur ab omnibus periculis, ne finaliter pereant. *Cuſtodit* iſtos *Deus ut pupilam oculi ſui* ſ: *cuſtodit parvulos, humilians peccatores uſque ad terram* t: *cuſtodit ab omni malo* u, ſaltem gravi, ſaltem finali: *cuſtodit animas illorum* x, ne pereant: *cuſtodit introitum & exitum eorundem* y, ut *omnia cooperentur iis in bonum* z: *cuſtodit animas Sanctorum ſuorum, ut de manu peccatoris liberet eos* a: exhibet hic Samaritanus miſericordiam ſaucio b: cuſtodit in diligentibus ſe opus ſuum, & munus, quoniam quod diligatur, ex illius gratia provenit, *nec prior* quiſquam ipſum, ſed *ipſe alios dilexit* c: adhuc viciſſim *diligens diligentes* d: *cuſtodit quos dedit ſibi Pater, ut nemo ex eis pereat* e. Conſidera lilia agri, quomodo inter ſpinas vigent f & nitent. *Si fœnum, quod hodiè eſt, & cras in clibanum mittitur* g. Deus ſic cuſtodit, inquit Bernardus h, *quanto magis* amicam, & ſponſam ſuam chariſſimam? Tùm profert loci præſentis ſententiam.

q Joan.8 r cap.7.20

ſ pſ.16.8 Deut.33.10 t pſ.114.6 u pſ.120.7 x ibid. y verſ.8 z Rom.8.28 a pſ.96.10 b Luc.10.33 34.35 c 1.Joan.4. 10 d Prov.8.17 e Joan.17.12 f Cant.2.2 g Mat.6.10 h ſerm.58. in Cant.

Et omnes peccatores diſperdet.) Hieron. & in Speculo Auguſt. *& univerſos impios conteret*: valet hoc רשעים *reſciabbim*: ſed & pro quibuslibet peccatoribus, qui ἁμαρτωλοὶ hic vocantur, ſumi ſolet. Sixtus ille, quem antea citavi, refutans nonnullorum errorem, quod impii ſoli perituri eſſent, quos aut idololatras intelligebant, aut non credentes in Deo: præter alias rationes, ac nominatim, quod credulitatis iſto ſuffragio delinquendi facultas nutriretur, & nemo peccator eſſe metueret, quum ſolis impiis pœnalis perditionis interitum propoſitum conſideret; argumentatur Scripturarum teſtimoniis diverſis, tùm verò loci præſentis, in quo generaliter dicuntur diſperdendi omnes peccatores, ſi nimirum, inquit, in ſuo peccato permanſerint. Faveret dicto errori nomen *impiorum* ex translat. Hieronymi Sed impios quoq; certum eſt pro quibuſcumque peccatoribus accipi. Ex hoc ipſo loco noſtro Ambroſ. non Mediolanenſis Epiſc. Doctorq; ſed Ansbertus i cognomine, aliuſve, quoniam omnes peccatores diſperdendi ſcribuntur, propter verbum, inquam, *diſperdendi*, colligit in ſimilibus locis, non quoslibet peccatores intelligendos, qui æternæ damnationi dicantur obnoxii, ſed qui graves ſint peccatores. Probat à ſimili, quia per-

Quo pacto peccatores diſperdendi dicantur.

i Apoc.22

a pſ.5.7. b Apo.21.8. c pſ.115.11.

perditurus affirmatur *Deus omnes, qui loquuntur mendacium* a, & *omnibus mendacibus futura pars in ſtagno ignis ardentis & ſulphuris, quod eſt mors ſecunda* b: quum tamen pronuntietur *omnis homo mendax* c: ex quo fieret, neminem ſalvum eſſe poſſe. Sed non de omnibus mendaciis, inquit, hoc dictum eſſe intelligere debemus, ſicut nec de omnibus peccatoribus, id quod hic habetur, cùm etiam ſi dixerimus, *quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducamus*, teſte Joanne d, ſed & de illis tantummodo, qui in gravibus peccatis ſemetipſos præcipitantes, nolunt agere pœnitentiam de iniquitatibus ſuis: & non de levibus mendaciis, à quibus nullus homo poteſt ex toto abſtinere: verum de gravibus, quæ mergunt hominem in damnationem mortis. Auguſtinus denique de perſeverantibus in peccato, ac deſperantibus, ut antea vidimus interpretatur, quemadmodum & diligentes Deum, ab illoque cuſtoditos de prædeſtinatis. Similes univerſales propoſitiones de perdendis omnibus peccatoribus, quæ aliis in Scripturæ locis extant permultæ, ac nominatim in pſalmis e noſtris ad eum, quem dixi modum, debent explicari, ſcilicet ut debeatur omnibus ſic diſperdi, etiamſi non omnes Deus diſperdat: vel ut omnes reprobos diſperdat, & in æternum ſeparet ab electis, dilectis à Deo, Deique dilectoribus, quos priores odio proſequuntur, & eorum ſuperbia, *qui oderunt Deum*, Deique amicos, *aſcendit ſemper* f. Nicephorus vocat ἀνεπιστρόφως ἁμαρτάνοντας, inconvertibiliter peccantes.

d Joan.1.8.

e pſ.5.7. pſ.72.27. pſ.42. 22.

f pſ.73.23.

Verſ. 21.) Laudationem Domini loquetur os meum: & benedicat omnis caro nomini ſancto ejus in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Senſus loci.

Similis clauſula pſalmi principio ac titulo, qui fuerat laudatio: & propter illa omnia, quæ dixit de Dei magnitudine, operibuſq; ipſis, de regni æternitate, de regiis virtutibus, ut miſericordia, ſeveritate providentia, de confeſſione quoque omnium operum ejus, laudationem ſpondet Domini, uſurpandam ore proprio: & optare ſe ſignificat, ut omnis caro, ideſt, omnis homo, & omne, quod vivit, ſpiratque, ſemper, & abſque ceſſatione nomen Dei laudet, atque quod ipſe per ſe ſolus non poteſt, ſuppleant aliæ creaturæ, præſertim quæ ſunt hujuſce muneris capaces, tum in tempore præſenti per varia ſibi ſæcula, ſeu ætates ac generationes ſuccedendo, tum in futuro tempore, immo in perpetua æternitate. Vaticinium putat Euſeb. eſſe converſionis Gentium, quando *plenitudo earum fuerit ingreſſa* g tuncque hominum genus omne ſalvabitur, & *videbit omnis caro, omneſque fines terræ ſalutare Dei noſtri* h. Aptus profectò hic verſiculus, quo noſmetipſos excitemus, quoties Dei laudare myſteria & opera volumus. Ab eo Auguſtinus orſus eſt ſermonem unum de Domini nativitate i. *Laudem Domini loquetur os meum*, ejus Domini, inquit, per quem facta ſunt omnia, & qui factus eſt inter omnia, qui eſt Patris revelator, Matris creator &c.

g Ro.11.25. h Eſa.40.5. cap.52.10. Luc.3.6. i ſer.27. de temp.

Laudationem Domini loquetur os meum.) Sic etiam ex Hieronymo in Bibliis Regiis: Sed apud alios, ut & in Pſalteriis aliis Latinis, quique illis utuntur, Auguſtino, Proſpero, Arnobio, putato Hieronymo, Caſſiod. *laudem*, quæ ſignificat tamen idem, quod *laudatio*: hanc vero pro ipſo actu laudandi αἴνεσις; utrumvis תהלה *thehillah*. Poteſt exponi de vocabuli laude, aut laudatione in cœlo à beatis poſt reſurrectionem uſurpanda, quando *replebitur os eorum laude, ut cantent gloriam Dei; tota die* (æternitatis) *magnitudinem ejus* k. Quod Hilarius, ut antea inſinuavi, eliciebat ex nomine *orationis* ſeu *deprecationis*, poſſumus & nos hinc elicere, nempe uſum laudis & laudationis, quæ fit ore, voceque, ut ſic non præ nobis feramus contemtu quodam ſilentii, deſignari nos ſpem habere in Deum, ſed ut ſpem noſtram eloquatur oratio, preces conteſtentur. Actum de hoc eodem argumento pluries, hoc eſt, de utilitate vocalis orationis & laudis. Ceterum futuri temporis, *loquetur* λαλήσει, ידבר *jedabber*, poteſt explicari per imperativum: quemadmodum in ſequenti membro pro *benedicat*, modi ejuſdem, Hebraicè futuri quoq; temporis eſt, יברך *jevareck*. Hilar. tamen colligit ex futuri temporis verbo *loquetur*, quod laudaſſe non ſufficit, niſi & laudare non deſinas. Id vult etiam Euthym. hunc per illum alium declarans locum l, *ſemper laus ejus in ore meo*. Denique Pleonaſmus, quo dicitur *os loqui*, habet vim expreſſionis ac energiæ majoris, quæ alibi ſæpius occurrit. Arnob. ex hac Dei jugi laudatione argumentatur diſcedere debere ab ore noſtro univerſas detractiones: & ut quæ noverimus in fratribus laudanda, memoremus: & ut alios ſibi teſtes inveniant aliena peccata; nos noſtri accuſatores, noſtriq; tantum vituperatores effecti, ſemper in Dei laudibus, atque in Dei benedictionibus occupemur agentes ei gratias in ſæcula ſæculorum. Videtur Arnobius in Dei laudatione deputare laudationem alienæ proximi noſtri virtutis: quoniam redundat hæc in Deum, & qui opera bona alterius probat, laudatque, *glorificare* cenſetur *Patrem, qui in cœlis eſt* m, *cui cantat gloria noſtra* n, tamquam Regi, ac *Deo omnis gloria* o: ut non ſolum ipſi *gloriemur in ipſo* p, ſed & in eodem alios glorificemus, atque laudemus. Rickelius moneri nos innuit, non verba ſcurrilia loqui, nociva, infructuoſa, vana, quæ ſcilicet ad laudem Dei referri non poſſunt.

K pſ.70.8.

Uſus vocalis laudationis.

l pſ.33.2.

m Mat.5. 16. n pſ.29.13. o Act.7.2. 1.Cor.2.8. Epheſ.1.17. Jacobi 2.1. p 1.Cor.1.31

Et benedicat omnis caro nomini ſancto ejus.) Hieronym. apud Treverum, *benedicat nomen*: apud alios *benedicet nomini*. In Speculo Auguſtini, *benedicit nomini*, niſi mendum ſit, quia Græcum eſt imperativi modi, εὐλογείτω, Hebræum futuri temporis; יברך *jevarech*, quod, ut ante dixi, ſumi ſolet pro imperativo. Legunt etiam in imperativo, *benedicat*, Alia Latina Pſalteria, & Auguſt. Proſper, Caſſiodorus, putatus Hieronym. & in accuſativo, *nomen*. Nihil refert, *nomenne* in accuſativo, an in dativo *nomini*, quod frequentius fit, etiam ab Hieronymo q, dicamus. Etſi vero *benedicet*, in futuro ſumi poſſit pro *benedicat* in imperativo, obſervat, quod Propheta non ait, *benedicet*, in futuro, tamquam certus ſit id futurum, ſed ex voti affectu ait, *benedicat*, ut illud potius intelligeretur optare, quam confideret ſic futurum. Sed & alios retuli perinde interpretatos imperativum, ac ſi futurum eſſet, atque accepiſſe tamquam prædictionem de Gentium converſione, ſive quando plenitudo ejus ingrederetur. *Carnem* porro *omnem* licet ſumere poſſemus pro quovis animali, ſicut in alio pſalmo r, ubi canitur *Deus dare eſcam omni carni*, de qua ipſa Dei providentia hoc eodem pſalmo noſtro prius actum eſt: recteque intelligitur, quo pacto benedicere dicantur Deo, nominique ipſius, etiam bruta, imo & omnia opera, ut verſu decimo, nihilominus magis communis acceptio eſt *carnis* pro homine toto, pro quo & anima interdum uſurpatur. Id nominatim de parte utraque, Caſſiod. admonet, hunc locum citans, & ſimiles alios. Nazianz. ſ refellens eos, qui quod *Verbum caro factum* dicitur t, carnem ſolam à Domino aſſumtam prave colligebant. Lege Nazianzeni ſcholiaſtem Eliam u. Nec vero *carnis* vocabulum juxta iſtam notionem ſemper male ſonat, etiamſi tunc primum expreſſum legatur in Scriptura, quando *corrupiſſe* memoratur *viam ſuam* x: verum & hominem totum nonnumquam denotat, ut ſit capax notitiæ Dei, gratiæ, & ſalutis y: ipſeq; Chriſtus ſeu potius *Verbum caro factum* ſcribitur z, ideſt, humanam naturam aſſumſiſſe, factuſque homo is, qui Deus eſt. Quod ait, *omnis caro*, inquit creditus Hieron. non ad inſenſibilia referendum eſt (irrationabilia dicere, vel intelligere voluit, niſi carnem conſideravit ab anima ſeparatam,) ſed ad omne corpus Eccleſiæ, quod nos ſumus: qui Deum laudare, benedicere, extollere ac prædicare debemus, per quem vivimus, per quem alimur, ac ſumus. Ayguanus exiſtimat declarari deſiderium, ut quilibet homo carnem ſuam ſpiritui ſubjiciat, utque operibus bonis inſiſtat, quibus Deus laudetur, præterea ut *ſpiritu facta carnis mortificet* a, *neque carnis curam faciat in deſideriis* b: qua ipſa de re Gregorium c citat, & Chryſoſtomum d. Præterea poteſt intelligi Davidis deſiderium de carne per reſurrectionem reformanda, ut valeat tunc externo ſermone laudes Dei celebrare. Omnia namque membra & viſcera incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus, aut Auguſtinus e, per uſus neceſſitatis, varios diſtributa, quoniam tunc non erit ipſa neceſſitas, ſed plena, certa, ſecura, ſempiterna fœlicitas, proficient in laudibus Dei: & *beati habitantes in Domo Domini, in ſæcula ſæculorum laudabunt eum* f. Indicat item *carnis* vocabulum pro homine in generali propoſitione; cujuſvis conditionis hominem etiam infimæ: ita ut nemo excipiatur. Qui modus loquendi adhibetur quando mentio fit de beneficio; ut citato Eſaiæ g loco, *videbit omnis caro ſalutare Dei*: item: *veniet* h *omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus*: rurſus ad comprehendendum omnes etiam potentiores ſub vili conditione humana, *omnis* i *caro*

q hic v.1. pſ.95.2. pſ.102.2.

r pſ.135.25.

Notio vocabuli carnis.

ſ Orat.51. t Joan.1.14. u ib. n.23.

x Gen.6.12.

y Eſa 40.5. z Joan.1.4.

a Rom.8.13. b cap.13.14. c 10. mor.c. 4. d hom.8. 11. Matt.

e ult. de civ. cap. ult.

f pſ.83.5.

g cap.40.5. cap.52.10. h c.66.23.

i c.40.6.

caro fœnum, & omnis gloria ejus, ſicut flos fœni. Ac propter eamdem cauſſam, utque major dignatio incarnationis indicaretur; *Verbum caro factum* dictum *eſt* a, ut docent Nazianzenus b, Theophylactus c, Auguſtinus d: vel quia in ea parte maxima corruptio erat, ut notant Cyrilluse, & Aquinas f.

Cauſſa cur Verbum caro factum dictum ſit.
a Joan.1.14.
b Ep. 1.
c in Joan. 1.
d Epiſt.120.
e lib. 1. in Joan. cap.15
f in Joa.c.1.

In ſæculum, & in ſæculum ſæculi.] Hieronymus, & in Speculo Auguſtin., *in æternum, & jugiter*, לעולם ועד *lebholam vahhed*. Pro iiſdem Hebræis vertit Hieronym. verſu primo, *in ſempiternum, & jugiter*.

PSALMUS CENTESIMUS QUADRAGESIMUS QUINTUS.

1. Alleluja, Aggæi & Zachariæ.

2. LAuda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea: pſallam Deo meo quamdiu fuero.
Nolite confidere in principibus. 3. in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus.
4. Exibit ſpiritus ejus, & revertetur in terram ſuam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.
5. Beatus, cujus Deus Jacob adjutor, ejus, ſpes ejus in Domino Deo ipſius, 6: qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt.
6. Qui cuſtodit veritatem in ſæculum, facit judicium injuriam patientibus: dat eſcam eſurientibus.
Dominus ſolvit compeditor: 8. Dominus illuminat cæcos.
Dominus erigit eliſos, Dominus diligit juſtos.
9. Dominus cuſtodit advenas, pupillum, & viduam ſuſcipiet: & vias peccatorum diſperdet.
10. Regnabit Dominus in ſæcula, Deus tuus Sion in generatione & generationem.

Titulus, & Argumentum.

Verſ. 1.) Alleluja, Aggæi & Zachariæ.

Titulus.

PRIMAM vocem, *alleluia*, editio Græca in Bibliis Complutenſibus, Regiis & aliis habet non hic in titulo præſentis pſalmi; ſed in fine præcedentis. Pertinet tamen ſine dubio ad iſtius pſalmi titulum, extatque etiam Hebr. hic, non ibi. Quid valeat, dictum alias. Non aſſentior Cajetano, pſalmi non titulum, ſed principium eſſe *alleluja*, quaſi populus ea voce invitetur, ſignificante *laudate Deum*, cui deinde populo dicatur; *nolite* g *confidere, &c.* Refragatur communis opinio: nec ea ratio momentum habet. Duo nomina Prophetarum Græcè reperiuntur præterea in ſequentibus pſalmis, ſi ultimos duos excipias. Textus Hebr. in nullo ea agnoſcit: teſtaturque id Theod. hoc loco, & ſe non modo apud Hebr. ſed neque apud alios Interpretes illa inveniſſe, neque apud LXX. hexaplo. Euthym. hoc ipſum ſimpliciter admonet etiam de LXX. nec ſolum de hexaplo. Nicephorus ait quod ἀθετεῖται ἡ τοιαύτη προσθήκη, conveniant vero dicta circa titulum pſalmi 136. noſtro huic pſalmo; videlicet quoniam ibi *Jeremiæ* nomen eſt, atque de reditu ex captivitate Babylonica videt ſermo eſſe. Potuit & melius advocare d, exemplum pſalmi 111. titulum *alleluja, reverſionis Ag.* certe.

g v. 2.

& Zachariæ. Hilar. admonet viſum translatoribus, *Aggæum & Zachariã* in titulo anteferre, ut noſceremus pſalmum eſſe propheticum, quia per hos Prophetas, ſub quibus ædificata rurſum Jeruſalem eſt, ipſo illo tum tempore æternæ Jeruſalem ædificatio prædicatur: & quoniam hujus Jeruſalem potius, & Sion regem pſalmus oſtendit. Confirmat, quoniam ingreſſuro templum Domino, & nummulariorum menſas, & ementium, & vendentium negotia ſubverſuro, ita ſcriptum eſt: *Hoc autem factum eſt, ut impleretur, quod dictum eſt per Zachariam Prophetam dicentem; Dicite filiæ Sion; ecce Rex tuus venit tibi manſuetus; ſedens ſuper aſinam, & pullum novellum ſubjugalem* h. Putans Hieronym. obſervat quoque deeſſe Prophetarum vocabula in Hebraico; eſſe autem in Septuaginta interpretibus; quia de inſtauratione Jeruſalem videntur verba illa eſſe in fine pſalmi; *Regnabit Dominus in ſæcula, Deus tuus in Sion in generatione, & generationem.* Adde mentionem de ſolatione compeditorum, ac liberatione aliorum afflictorum i. Hilarii auctoritas, ut exiſtimo, nec non ejus, qui creditur Hieronymus, revera autem Hilarium hic, & in aliis ſæpe tranſcripſit, item fides codicum Latinorum manuſcriptorum ſatis antiquorum, quorum nonnullos ipſe conſului in Rom. Bibliotheca noſtra, præter Græcos tum Bibliorum libros, tum enarratores, qui meminerunt, quibus addendus Apollinar. exprimens nomina dictorum Prophetarum, fecit ut in emendata editione nomina eadem retinerentur; cùm alioqui, & à non paucis Bibliis Latinis, Græciſque abſint, & illa omiſerint. Auguſtin. Caſſiod. Remigius, Haimo, Bruno, Hugo, Lyra, Ayguanus, Rickelius, Valentia, Ludolphus & alii.

h Mat.12.5. Zachar.9.9.
i v. 7.

Argumentum

Favet argumentum titulo, prout à multis traditur, de reditu ex captivitate Babylonis, pro qua, quod Beda ſcribit, populus gratias agat, commemorans eadem opera ejuſdem Dei alia in ſe beneficia ab initio collata. Hilario aſſentior, longe melius congruere pſalmi ſententias inſtaurationi ſpiritualis Jeruſalem, tum æternæ, tum etiam temporalis, ſive Eccleſiæ tam militantis, quam triumphantis. Invitantur quippe homines in iſto pſalmo ad iter verſus utramque Jeruſalem: & ne retardentur ſpe terrenæ fœlicitatis, admonentur in nullo homine quantumvis magno, & potente, ſpem ponere, ſed collocare fiduciam totam in Domino, qui condidit univerſa opitulatur cunctis neceſſitatibus humanis; conſtans eſt in præſtandis promiſſis; perpetuo regnat; quum quilibet homo moriatur aliquando, & neceſſe ſit perire omnia conſilia ipſius atque deliberationes, ita ut certa & diuturna ab eo ſalus ſperari non poſſit. Inter pſalmos, qui laudes celebrant, Athanaſ. k hunc numerat, interque illos, qui ſerviant volenti Deum laudare, & cognoſcere quomodo, & quibus in rebus laudandus ſit, & quæ verba ad illius laudem dicenda ſint; præterea inter eos, qui ſint utiles ſupplicare, & orare conſtituenti: denique ſi quis cupiat Odem pſallere, in qua ſubaudiatur *alleluja*.

k ad Marc.

Verſ. 2.) Lauda anima mea Dominum: laudabo Dominum in vita mea: pſallam Deo meo, quamdiu fuero.

Senſus loci.

PAthetica, & efficax adhortatio, atque provocatio hominis ad animam ſuam, ut Dominum laudet; nimirum ex intimo cordis affectu, ſynceroque & ardenti animi deſiderio, ac intentione: & quidem non obiter, non brevi, non paucis; verum quoad vita ſuppetat; quamdiu hæreat in corpore anima, quanto tempore in ore halitus, ſpiritus in præcordiis perſeveret; Hoc eſt *Dominum benedicere in omni tempore, ſemperque laudem ejus eſſe in ore* l: hoc eſt *cantare Domino in vita ſua, pſallere Deo tuo quamdiu es* m: ſatis perſpicua per ſe ſententia iſta, eique ſimiles non ſemel aliis in pſalmis tractatæ.

l pſ. 33. 2.
m pſ.103.33

Lauda anima mea Dominum.) Rectè Rickelius, refellens philoſophos, nempe Platonicos, & ex Theologis nonnullos etiam, ut ipſe eos vocat, magnos, qui aſſeruerunt hominem non eſſe, niſi animam, quoque homo ſit anima utens corpore, docet quoniam homo ex anima & corpore conſtat, tamquam eſſentialibus partibus, & quia omnium operationum vitalium, præſertim intellectualium radix, principiumque eſt anima, ideo totus homo ſeipſum ad laudem Dei accendere volens, animam ſuam affatur, ita ut hæc allocutio conveniat homini ex parte animæ. Notat præterea, quod ſæpe alloquitur homo ſeipſum

ſeipſum tamquam alium: interdum vero loquitur de ſeipſo & anima ſua, tamquam eſſent diſtincti, cum tamen propriè loquendo, nec idem ſint, nec diſtincta, ſed unum aliquid alterius. Tobiæ a verba citat ad hoc propoſitum; *ego autem, & anima mea in Deo lætabimur*: Plura autem hujuſcemodi alloquentis animæ ſe ipſam occurrerunt exempla in prioribus pſalmis b, & apud Lucam c de anima ſtulti divitis. Tandem obſervat hoc dicendi modo denotari laudem Dei non ſolum voce oris, ſed interioribus verbis cordis, immo mente, ore, & opere, atque, ut ait auctor Eccleſiaſtici d, *in omni corde, & ore collaudandum Dominum, & benedicendum nomini ipſius, quoniam ſoli Deo* per ſe debetur, *laus, honor* e, *gloria*, velut ſummo bono, boniqueomnis principio. Quod ſi alium interdum laudas, inquit, ſive honoras, quam Deum, hoc tamen non facit, niſi propter aliquid divinum in illo conſiſtens, nec alium laudas, & honoras, niſi propter Deum, ad quem etiam refers quidquid honoris, & laudis alteri exhibes, proptereaque alios laudando, & honorando, magis honoras, & laudas Deum, quam illos. Omnia ſunt Rickelii. Chryſoſtom. obſervans principium pſalmi hujus reſpondere poſtremis præcedentis verbis, aſſiduam iſtam laudem in factis potiſſimum conſiſtere vult, *ut videntes opera noſtra bona, glorificent alii Patrem, qui in cœlis eſt* f, *utque glorificemus Deum in corpore* g, ac in ſpiritu noſtro. Auguſtini hoc loco mihi commentarius prius ad modum, & ſubtilis videtur, ſi quis alius. Ait non eſſe carnis iſtud conſilium, cohortationemve ad animam, quoniam quovis corpore, quantumvis perfecto, & carne etiam edomita, immo jam veluti angelica, & beata; præſtantior eſt anima, licet peccatrix, ſicut aurum, etſi ſordidum, melius eſt, quam purgatiſſimum plumbum, conſilia vero non niſi à melioribus petuntur. Deinde digreſſus in laudes animæ per comparationem ad quodcumque corpus, quamlibet excellens, neganſque reperiri apud nos, qui ſufficit laudibus animæ, unde fiat, ut multo minus laudibus ejus, qui eam condidit, affirmat à Deo gratiam communicari animæ, ut ipſamet ſibi anima dicat, *lauda Dominum*, ſibi quodam modo imperet, ſe exhortetur, atque excitet. Modum porro explicat, quoniam quibuſdam perturbationibus ex quadam parte fluitabat anima; ex quadam vero parte, quam vocant, mentem rationalem, illam, qua cogitat ſapientiam, inhærens Domino, jam, & ſuſpirans, in illum, animadvertit quaſdam ſuas inferiores partes perturbari motibus ſæcularibus, & cupiditate quadam terrenorum deſideriorum ire in exteriora, relinquere interiorem Deum, revocat ſe ab exterioribus ad interiora, ab inferioribus ad ſuperiora, & dicit, *Lauda anima mea Dominum*. Poſtea idemnet Auguſtinus inducit animam ipſam ſecum colloquentem; & cohortantem, ut laudare, amareque deſinat res alias, præ illo qui fecit eas, ut colligatur ad ſeipſam, & quicquid foris placet, quærat quem habeat auctorem, ſcilicet eum qui fecit omnia ſimul *bona valde* h. Deinceps admonet cujuſque animam redire, laudare, conſilium ſibi dare ex luce Dei per rationalem mentem, unde concipiat conſilium fixum in æternitate auctoris ſui. Rurſus facit animam loquentem ſibi quaſi deſuper attendente, mente ad illam fluitantem hac, atque illac, & quaſi ob ejus inquietudinem moleſtiarum converſa ad eamdem; *Lauda anima mea Dominum*. Quid eſt, quod de aliis rebus ſatagis? quid te occupat cura rerum terrenarum, atque mortalium? ſtamecum, lauda Dominum. Sed per lege locum totum avide, devoteque. Ceterum David noſter, quandoq; ad laudes Dei provocat & de cœlis, & de terra i, ideſt, utrobique habitantes rationales creaturas, nonnumquam Jeruſalem, ſeu Sion k, interdum omnes gentes, populoſq; l, alias pueros peculiares ac ſervos Dei m; aliquando creaturas etiam ratione, ſenſu, vita carentes n; cunctaq; opera o. Atqui probe intelligens Deo noſtrarum laudum percupido, non ſua ipſius cauſſa, qui per ſe *magnus, ac laudabilis nimis eſt* p, *nec indignus bonorum noſtrorum* q, niſi nos ipſi per nos illum laudemus, minime ſatisfieri, excitat ſeipſum, urgetq; ad laudandum eum. Ut vero laus reddatur Deo, ut illum decet *in ſpiritu, & veritate* r, atque ne honoretur aliena dumtaxat, ſed ex *propria ſubſtantia*; quod fieri debere Sapiens ſ præcipit, neque corde alienato ad res alias, & quod noſmetipſos deliquerit t, ſed *corde noſtro*, & quidem *toto*, ſimul *cum anima, mente, viribus* u, idcirco convenit animam ſua ratio menſve, jubens, ut ipſa ſe plane totam, integram, ac ſui maximè compos, dominaq; ad hoc munus applicet ſciens Dominum, qui domino iſto abdicari non poteſt, ſed cùm ſpontè, libenterque, ut Dominus agnoſcitur, & laudatur, & cavemus, ne, quod in nobis eſt, ſubtrahamus ei jus hoc ſuum tum ipſi dominium noſtri maxime retinere, quia illi ſervire, regnare eſt, *laudis ſacrificio* iſto in primis *honorificari* x.

a cap.13. 9.
b pſ. 4.6.12. pſ.42.5. pſ.61 2,6, pſ.102.1. 2 22 pſ.103. 1.35 pſ.114. 7.
c c.12.19
d c. 29.41.
e 1.Tim.1.17
f Mat.5.16.
g 1.Cor.6.20
Animæ laudes.
h Gen.1.31.
i pſ.148.1.7
k pſ.147.11. ſecund.Heb.
l pſ.110. 1.
n pſ.148. toto.
o pſ.144.4.
p pſ.47. 2.
q pſ.15. 2.
r Joan.4.24.
ſ Prov 3.9.
t pſ.38. 13.
u Luc.10.27

Laudabo Dominum.) Biblica editionis Latinæ verſuum diſtinctio protendit verſum iſtum ſecundum inchoatum à primis pſalmi verbis, quia ex titulo, unum conſtat, uſque ad illa verba incluſivè, *Nolite confidere in Principibus*: Hieronymus, & alii ex *alleluja*: quod in titulo tantum ponunt, & ex declarato membro componentes primum, ordiuntur verſum ſecundum hinc excluſive uſque ad *nolite confidere, &c.* Anima porro quaſi prægravata, ut Auguſtinus ait, & non valens ita conſiſtere, ut dignum eſt, reſpondet menti, ſe nimirum nunc laudare quantum poteſt, tenuiter, exiliter, infirmiter, non perfectè, non ſtabiliter, propter ſarcinam corporis corruptibilis, terrenæque peregrinationis inhabitationem. Sed Hilarius videtur ad hominem integrum referre hanc reſponſionem, qui, quod modo non poſſit perficere, ſperet ſe in reſurrectione facturum, nempe ut laudet non anima tantum, ſed etiam corpore, tam interna cordis laude, quam vocis ac linguæ externa. Id ſibi velle dicunt quod ſequitur.

x pſ.49. 23.

In vita mea. Nam ſpes noſtra hic, inquit Auguſtinus, portio autem noſtra non hic, ſed *in terra viventium* y; quia iſta terra morientium eſt, hacq; tranſimus; ibi, & in alia illa terra. Deique domo, *in ſæcula ſæculorum laudatur Deus à beatis* z, quorum totum negotium ipſa laus illius eſt, nunc mors noſtra eſt, non vita, quia *peregrinamur à Domino* a, cui hærere vita eſt: vivimus dumtaxat in ſpe, ac idcirco de ſpe, laudare modo tantum poſſumus, de ſpe cantare, non unde mors noſtra eſt, ſed unde vivimus, non de mœrore hujus ſeculi, verum de ſpe ſæculi futuri. Non eſt, inquit Hilarius, ea vita, quæ nunc eſt per infirmitates corporis, noſtra, ab Adam ita cœpit; non cum Adam inchoata eſt: quam non vitam; ſed mortem Apoſtolos novit dicens b; *miſer (infelix) ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus*? In hac ergo vita noſtra Deum, qualis primum in homine eſt conſtituta, laudabit. Immo ſane multo perfectius, quanto perfectior ſtatus beatitudinis, innocentiæ ſtatu adhuc ſub cœlo priuſquam tranſitus, translatioque fieret in illum. Putatus Hieronym. vitam noſtram Chriſtum aſſerit: qui laudet Deum in Chriſto, exiſtimari laudare in vita ſua. Ad litteram *laudare* cenſetur *in vita ſua*, qui quamdiu vivit id facit, ſeu, quod ſequentibus dicitur verbis, *quamdiu eſt*, ſive ſuperſtes exiſtit in vita; eodem pacto *cantaturum ſe Domino* David alibi c dixit *in vita ſua, pſalmumq; dicturum Deo ſuo quamdiu eſſet*. Prope accedit ad litteralem ſenſum, ut in vita ſua Deum laudare dicatur is, qui cunctæ vitæ opera refert ad laudem Dei, ſive manducet etiam, ſive bibat, ſive quid aliud *in verbo, aut in opere agat* d, qui præterea bene vivat vita nunc gratiæ, poſtea gloriæ, ut Rickelius notat: ſed ſimpliciorem vitæ notionem ſumens Apollinarius, videtur exponere, ut *laudare in vita ſua* ſit propter vitæ beneficium collatum à Deo, vel *quia Dominus ejus eſt*.

y pſ.141. 6.
z pſ. 83. 5.
a 2.Cor.5.6.
b Rom.7.24
c pſ.103.33.
d Col.3.1.7.

μόλπε θεὸν φίλε θυμὲ τεῆς κρατέοντα βιώνς:
Celebra Deum chara anima tua Dominum vitæ.

Pſallam Deo meo.] Hieronym. *cantabo*, ſed *pſallam* propriè ſignificat ψάλλω & אזמרה *azammerah* unde *pſalmi* nomen מזמור *mizmor*. Tropologicè poſſet *pſallendi* verbo innui laus per opera, quia manibus pulſatur Pſalterium, communi autem laudandi ea, quæ fit per ſermonem, tacitaſque cogitationes, & vota. Hilarius quidem admonet in omni hoc pſalmorum libro; in pſallere religioſas operationes corporis ſignificari, apta, & conſona corporei motus varietate placituri. Vim porro habet pronomen, *meo*: ut denotet David ſe anima vitaque ſua laudare velle communem quidem Dominum ac Deũ: attamen peculiari quadam ratione ſuum, ob ſingularia beneficia, & propter amorem adeo veluti proprium, ut in ipſo ſolo videatur occupatus fuiſſe. Sed & reciprocatio illa elegans piaque eſt pronominum, ut Deum ſuum Propheta nominet, quam ſua ipſe anima vitaque laudet, ac ei pſallat; nec non cui acceptam ferat vitam, & animam, & quem laudando, illique pſallendo, faciat magis Deum ſuum, utilitatem, & commodum inde referens,